

tur, is sciat, illam, in se ipsa, nequaquam esse difficilem, quodque illi, Deum qui diligunt, ad eamdemue ab illo dignantur, illam facillime consequantur.

Sin verò mihi aliquis exprobrare conetur, quod nimirum artem illam nimis clarè, & expresse, tradiderim, adeo ut quilibet illam queat intelligere: Illi respondeo, quod quidem satis expresse dignis eamdem conscripserim, & quibus Deus illam non invidet, indigni verò illam minime molestabunt. Equidem artem integram præpostera sapientia nasutulis, de verbo, ad verbum, explicavi: verum illi eamdem in cordibus suis irriserunt, minime credentes, quod duplex, in opere nostro, fiet resurrectio. Ars itaque nostra, tam in Theoria, quam praxi, merum donum Dei est, quam, cui vult, tradit, nec cuiusquam velle, aut currere, interest. Illam, cum omnibus suis substantiis, & requisitis, nunc ante annos IIIXX, vel IIXX, probe novi, & nihilominus tamen Dei, ex ipsius nutu, gratiam expectare necessum habui. Nemo quoq; mortaliū de artis huius certitudine, & veritate dubitet: illa siquidē in natura tam verax, certa, & indubia à Deo ordinata est, non secus ac sol de die, luna verò noctu splendorem suum mortalibus largitur. Hisce exigua sane istam meā præfationem concludā, & Tractatum ipsum incipiam. Vos per dilecti crucis aureæ

Fratres